

calamus quassus prorsus confringitur; Esai. 42.1. Matth. 12. 20. ut infra dicitur pluribus ) tamen quia ad salutem non sufficit, actum primum spiritualis vitæ non ad omnem in nobis deleri penitens, sed oportet eundem rursus instaurari, per renovationem Spiritus, ut consequatur energia actus secundi per mortificationem veteris Adami, ideò nemini securitas peccandi, nec licentia carni, datur.

XI.

Quinimò gravissimè interminatus Apostolus. *Ne quisquam (inquit) vos seducat in anibus verbis. Propter hæc enim venit ira DEI in filios contumaciæ, Ephes. 5.6.14. Quia hi demum sunt filij Dei, qui Spiritu DEI aguntur, Rom.8.14. Unde & pax (inquit) & misericordia DEI super ambulantes secundum (novæ creaturæ) canonem, & super Israelem DEI. Gal. 6.16.*

XII.

A manifestis igitur operibus carnis, eorumq; passionibus, & concupiscentiis, Spiritum in nobis non modò contristantibus, sed & regimen ejus excutientibus, arctè nobis cavendum est (hæc enim verè lethalia sunt in eis ambulantes; unde ab aliis dicuntur peccata regnantia, non quidem totaliter: sed tamen, quamdiu per renovationem Spiritus non seriâ emendantur pœnitentiâ, tamdiu faciem DEI videre non possunt, Heb. 12. 14.) quæ meritò à peccatis non regnantibus, nec regimen Spiritus excutientibus, distinguenda sunt, quæ dixerunt venialia, *In multis enim labimur omnes, & justus quoq; in die septies cadit, & resurgit, Jacob. 3. 2. Proverb. 24.16.*

XIII.

His ita Protheorias causâ præmissis (quorum usus in progressu disputationum nostrarum patebit) nunc ad Quæstionem gravissimam, quæ nulla major, neq; difficilior visa est Augustino, Serm. 81. in Matthæ. aggrediemur: *De Peccato videlicet in Spiritum Sanctum: Dogmate*, ut ad salutis nostræ certitudinem & stabilimentum non parum attinente, ita adversus tentationes Satanæ scitu per necessario; ideòque haud obiter, neque segniter tractando, præsertim cum novis controversiis hodie non vacet.

XIV.

Primum igitur *ὡς χεῖρ*, perspicuum ex Scripturis faciemus, *Quid nam propriè, ac verè sit peccatum illud, atq; blasphemia in Spiritum Gratiæ; quidve non sit?*